

INDEX

Rufino	138.	Saturnino	91, 110, 158.	Sofio Senecioni	10, 63.	Triario	109.
Rufo	97, 124.	Scauro	92.	Sparso	63, 129.	Valerio	35, 71.
Rufoni	150.	Sempronio Rufo	71.	Spurinnæ	94.	Valeriano	82, 92.
Rustico	154.	Septitio Claro	1, 12, 126, 128.	Sura	125.	Venatori	151.
Sabiniano	151, 152.	Seuero	47, 57, 76, 78, 110, 151.	Tyroni	98, 108, 146.	Voconio Romano	3, 21.
Sardo	155.	Serviniano	56, 110, 117.	Titiano	155.	Vrso.	65, 96, 99, 100, 103, 131.
				Tranquillo	14, 49, 91, 156.		

FINIS.

C. PLINII CAECILII SECUNDI VITA PER IOANNEM MARIAM CATANAEVM COMPOSITA.



Criptorum Illustrium duo in vrbe secula in primis foelicissima fuere, Augusti scilicet, & Vespasianorum fratrum: cum inter alios duo Plinij floruerent, e quibus iunior natalibus claris, quo die & anno natus sit, adhuc quaeritur. sub Nerone non ambigitur. patria Nouocomensis, L. Caecilio patre, & historici Plinij ex sorore genitus, a quo per adoptionem familiae eius insertus, auunculi bonorum & studiorum alio scribendi genere successor. Praeceptores habuit Fabium Quintilianum, & Niceten sacerdotem, in Syria tribunus militum Euphratem philosophum audiuit. Vbertate Liuiana plerumque capiebatur. Graeca in Latium, nostra in Graeciam dum transferret, studium suum adolescens intendebat. puer admodum comaediam Graecam composuit, elegos, & heroicis aliquando pangens. suos etiam hedeasyllabos, quorum libellum emisit, a Graecis probari gloriatur. Nonnunquam enim versiculos parum seueros, ipse tamen integerrimus vita luit. non sine summorum virorum exemplo. Vnde vicefimo aetatis anno dicere in foro coepit, & in Senatu plures grauissimas causas egit. Praetor ludos dedit, vix Domitiani callidam immanitatem declinans, cum omnem virtutem excindere conaretur. Ius trium liberorum a Traiano per Iulium Seruianum optimum, & exactissimum virum impetrauit. Caesaris Quaesturam, Tribunatumque Praefecturam aeriarij, Aemiliae viae, & aluei Tyberis curam, Auguratum, Consulatum summa fama & pari integritate administrans. In Tribunatu militum, & Quaestura Caesariensium Tyronem collegam, in consularatu & praefectura Cornutum Tertullum sortitus, augurali dignitate Iulio Frontino successit. Ponti & Bithyniae ad statum ordinandum missus proconsulari potestate, non minorem prudentiae gloriam, quam moderationis, & diligentiae secum retulit. Traiano gratissimus, & summa cum authoritate, a quo amicis suis honores saepe impetrauit, sibi vero quot optauerat vnum. In sigillo quadriga utebatur. Diuitias, quas patrimonijs & honestis hereditatibus largas comparauerat, liberaliter dispensauit. nam & nutrix eius, & Quintilianus praceptor, ac interdum quam plurimi munificentiam Plinij sunt experti. In municipio suo bibliothecam dedicauit, & annuos sumptus in alimenta ingenuorum pollicitus erogauit, tertiamque salarii partem publico praeposito obtulit. Romanum, & Firmum censu equestri iuuit. Caninium ad bonas artes reuocauit. In agendis causis abstinuit non modo pactione, dono, munere, verum etiam xenijs. Laurentinum rus, & alterum in Tuscis, quibus mire afficiebatur, epistolis celebrauit. De multis autem, quas iuxta Larium possedit villas, dilexit in primis, quam fere in plano conditam Comaediam, & quam Tragediam vocat, quia in edito sita. Romae habitauit in Esquilis. Vxoribus duas habuit: posteriotem nomine Calpurniam, Calpurnii & Pompeiae Celerinae filiam, cum qua iucundissime quis sine prole vixit, & eius studiorum ministrum quidam testantur. Ex doctissimis amicorum referam Virginium Rufum, Vestritium Spurinnam, Silium Italicum, Pompeium Saturninum, Valerium Martialem, Cor. Tacitum, Suetonium Tranquillum, Voconium Romanum. Antoninum: Martialem etiam viatico secedentem profectus, Tacitum ut rectorem, & magistrum suspiciens, Tranquillum contubernalem suum fouens & ornans. Fuit illi cum Aristone, Corcelio, Frontino, Neratio, Arriano iurisconsultis amicitia summa. Inter libertorum perditos habuit Zosimum, & Encolpium. Gloriam appetens, & immortalitatis summus aucupator, quod reliquum temporis dabatur a rebus ciuilibus & domesticis, id totum studiis impartiens, quorum variis generibus nulli satis confusus experiebatur. Nam praeter iudiciales, quibus Demosthenem imitabatur, demonstratiuas scripsit orationes, historias incertum. Hunc potissimum crediderim Fabium per ista demonstrasse, Sunt hodie summa, quibus illustratur forum, ingenia. Namque & consummatam iam patroni veteres aemulantur, & eos iuuenum ad optima tendentium imitatur, ac sequitur industria. Nullum emendandi genus omittebat, ac primum quae scripserat seculum ipse pertractabat, deinde duobus, aut tribus legebat, mox alijs tradebat annotanda, notaeque eorum, si dubitabat, cum vno rursus, aut altero pensabat, nouissime pluribus recitabat,

Comi in exteriori structura templi maximi.

C. PLINIO, L. F. O. V. F. CAECILIO.
SECUNDO, COS. AVG. CVRAT. TIBER.

Mediolani in aede Diui Ambr. in arca lapidea ex tabulis con fractis.

C. PLINIUS L. F. O. V. F. CAECILIUS AVGV. LEGAT. PRO. PR. PROVINCIAE. PON.
CONSVLARI POTESTA. IN EAM PROVINCIAM ET IMP. CAESAR NERVA TRA-
IANO AVG. GERMAN. CVRATOR ALVEI TIBERIS ET RIPARVM ET PRAEF.
AERARI SATVRNI PRAEF. AERARI. MIL. QVAESTOR IMP. SEVIR EQVITVM
TRIB. MILIT. LEGA. VI. GALLICAE. X. VIRSLITIB. IVDICAND. ADIECTIS
THERM. IN ORNATVM HS. CCC. ET HOC AMPLIVS IN TVTELA. HS. CC. T. FI.
ET. IN LIBERATOR. SVORVM NOMIN. HS. XVIII. LXVI. D. CLVI. REI INCRE-
MENT. POSTEA AD EPVLVM PLEB. VRBAN. VOLVIT PERTINERE HOC AM-
PLIVS DEDIT IN ALIMENTA PVERORVM ET PVELLAR. PLEB. VRBAN. HS.
CCC. IN TVTELAM BYBLIOTHECAE. HS. C.

In Semidivuta aede Diui Iuliani apud Fegium agri Mediolani.

C. PLINIO, L. F. O. V. F. CAECILIO SECUNDO COS. AVGV. CVR-
ALV. TIBER. ET CLOAC. VRB. PRAEF. AER. SAT. PRAEF. AER. MI-
LI. Q. IMP. SEVIR EQ. R. TR. M. LEG. VI. GALL. VIRO STLIT. IVD.
FL. DIVI. T. AVG. RCELIENS.

*Ex Onuphrij Panvini Commentarijs in fastis
Hoc ipso anno idem Plinius Secundus, ut in panegyrico tradit cum Tertullo
foras consulatum bimestrem in Kalendas et septembres iuxta et gessit.
De quo tale adhuc exstat antiquum Epigramma.*

C. PLINIUS C. F. C. N. CAECILIUS. SECUNDVS COS. AVGV. LEGAT.
Pro. Præf. Provinc. Ponti. consulari. Potestate. in eam. Pro-
vinciam. ab. Imp. Casare. Nerua. Trajano Aug. Germanico
missus. curat. Alvei. Tiberis. et Ripar. Praefectus.
Aerari. Saturni. Praef. Aerari. Milit. Leg. Leg. VI. Gallic.
XVII. Stlit. Iudicandis.